

BX 1749

T6

V. 5

1883



Capilla Alton
Universitatis



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

IN
PRIMAM SECUNDÆ
D. THOMÆ.

—
QUÆSTIO PRIMA.

DE ULTIMO FINE HOMINIS.

—
Quis sit ordo, et connexio istius partis summæ theologiæ ad primam, quam superioribus libris commentati sumus ; quo item ordine tractet D. Thomas et disponat materias, quæ ad hanc primam secundæ spectant, tum circa finem humanum tum circa actus morales, qui ad illum tendunt, et principia, quæ ad tales actus concurrunt, abunde explicatum a nobis est in Isagoge doctrinæ D. Thomæ in primo tomo primæ partis, ubi tota ista connexio, ordoque doctrinæ, ejusque rationes sunt expositæ.

SUMMA LITTERÆ.

Cum intentum S. Thomæ in hac prima questione sit agere de fine, qui est moralium actuum principium, considerat illum, et in quantum humanus est, proprieque ad hominem spectat, et in quantum ultimus, cui reliqui subordinantur. Et primam considerationem expedit tribus primis articulis. Secundam aliis quinque sequentibus.

In primo articulo ostendit, quod homini convenit agere propter finem in his actionibus, quæ sunt propriæ hominis, ut homo est, et in quo ab aliis rebus differt : quia tales actiones, quæ sunt propriæ hominis, procedunt a voluntate, et ratione, est enim homo dominus illarum. Objectum autem voluntatis est bonum, et finis, et sic agere propter finem, est proprium operantis per voluntatem, et rationem.

In articulo secundo ostendit, esse proprium creaturæ rationalis operari propter finem, movendo se ipsam ad finem. Omnia enim agentia, propter finem agunt, quia finis est primus inter causas, ex intentione quippe finis operatur agens, ut determinatum effectum producat. Sed agentia naturalia, et pure executiva, operantur propter finem ab alio cognoscente præstitutum. Agentia autem rationalia, propter finem a se cognitum, et ad

THEOLOGIA V.

008365

quem se dirigunt, habendo dominium suorum actuum. Et ideo proprium est naturæ rationalis, agere propter finem, movendo se ad illum, id est, ex directione, et cognitione propria, quam habet de illo.

In articulo tertio ostendit actus humanos sumere speciem a fine, eo quod omnia sortiuntur speciem ab actu, seu forma, ut patet tum in rebus compositis ex materia, et forma, ubi forma est, quæ dat speciem rei: tum in moribus, qui distinguuntur per actionem, et passionem: actio enim sumit speciem ab actu, qui est principium, passio ab actu qui est terminus. Actus ergo humani, sive considerentur per modum passionum, quatenus in eis homo movetur; sive per modum actionum, quatenus in eis se movet, cum procedant a voluntate deliberata, habent pro objecto finem, seu bonum: ergo finis habet in eis rationem principii, vel termini: ergo et specificativi.

In articulo quarto ostendit, dari aliquem ultimum finem humanæ vitæ. Quia in causis per se ordinatis, non potest dari processus in infinitum; subtracto enim primo, removentur quæ sunt ad primum, si autem procederetur in infinitum, non daretur primum. Sic ergo, si non esset ultimus finis, sed in infinitum procederetur, nunquam inciperet appetitus moveri in ordine intentionis, quia non esset una prima, et determinata intentio agentis. Neque in ordine executionis esset aliqua prima operatio, unde aliquis inciperet in his, quæ sunt ad finem, neque terminaretur consilium, sed in infinitum abiret.

In articulo quinto ostendit, non posse simul voluntatem ferri in duos ultimos fines, non subordinatos inter se: tum, quia ultimus finis rei est, qui terminat, et consummat ultimo illam, ergo repugnat, ultra illum, restare alium, quia ultra ultimum, nihil est: tum, quia sicut actiones voluntariæ a finibus particularibus speciem sortiuntur, ita a fine ultimo rationem generis: sunt autem omnes istæ actiones morales, unius generis, ergo unius finis.

In articulo sexto ostendit, omnia velle hominem propter ultimum finem, quia omnia vult propter bonum, seu in ratione boni, sive consummati, et perfecti, et sic est ipse finis, sive ad perfectum tendentis, et sic est propter illum: tum, quia primum movens semper influit in posteriora moventia: finis autem ultimus est primum appetibile: ergo ex influenza illius, movent secunda appetibilia.

In articulo septimo ostendit, omnium hominum esse eundem ultimum finem formaliter, sed non materialiter. Quia omnes appetunt hanc formalitatem ultimi finis, quæ est perfecte adimpleri, seu consummari; sed non omnes appetunt rem illam, in qua hoc invenitur, quia diversi, in diversas res inclinantur.

In articulo octavo ostendit, omnium creaturarum esse eundem ultimum finem ex parte rei, quæ est finis, et dicitur finis qui, non ex parte consecutionis finis, quæ dicitur finis quo, id est, usus quo possidetur finis. Omnes enim creaturæ ad Deum, ut ad finem ordinantur, sed non omnes ipsum in se adipiscuntur, et possident, sed solum rationales.

DISPUTATIO I.

DE FINE MORALI, ET ULTIMO IN COMMUNI.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit finis, quid agere propter finem, quid actiones humanæ?

I. Sunt ista quasi præludia quædam, et præsupposita ad ea, quæ in ista quæstione de fine ultimo, tractat D. Thomas. Et ideo ab eorum explicatione, inchoandum nobis est. Multa enim, quæ de fine, ejusque causalitate, hic tractari possent, a nobis disputata sunt quæstione XIII. physicorum. Quia vero in præsentem specialiter agimus de fine, prout pertinet ad actiones humanas, seu morales, oportet ista tria prælibare, super quibus propositiones suas format D. Thomas, scilicet, quid sit finis, quid agere propter finem, quid actiones humanæ, quæ et morales dicuntur, et in quibus operetur homo, in quantum homo.

QUID TRADAT S. THOMAS DE IPSO FINE, ET FORMALI RATIONE FINIS?

II. In hac quæstione quædam tradit D. Thomas pertinentia ad ipsam rationem finis, ejusque condiciones, quædam ad divisionem, variamque acceptionem finis: quæ oportet præ oculis ante omnia habere.

III. De fine ipso secundum se, seu conditionibus ad eum pertinentibus, et tria tradit D. Thomas. Primum est: Finis est principium in operabilibus ab homine, ut inquit articulo primo in argumento sed contra. Et iterum articulo secundo causa finalis est prima inter omnes causas.

Conducitque utraque propositio ad explicandam definitionem finis, communiter a philosophis traditam: Quod finis est cujus gratia cætera fiunt. Secundum est: Finis, et bonum, est objectum voluntatis, ut tradit articulo primo et tertio sæpius in tota quæstione. Tertium est: Finis, et si sit postremus in executione, est tamen primus in intentione. Et hac ratione, scilicet, in vi intentionis, habet rationem causæ, ut tradit articulo primo ad primum. Et rursus articulo quarto distinguit in fine, duplicem ordinem, scilicet, intentionis, et executionis. Principium intentionis est, unde incipit motio appetitus. Principium executionis est, unde incipit operatio. Hæc tria D. Thomas tradit, tamquam principia per se nota in hac materia de fine.

IV. Ex his autem tribus propositionibus, quæ sunt tamquam notissima præsupposita, infert alias propositiones, tamquam conclusiones, illis prioribus per se valde connexas; ut quod homini conveniat agere propter finem, quia convenit ex deliberata voluntate operari, et hæc habet finem pro objecto. Quod est proprium creaturæ rationalis agere propter finem; et non solum agi, seu moveri in finem; quia operatur ex intentione finis, per quam se movet in illum, et est dominus suorum actuum. Quod ultimus finis, seu primum appetibile, non potest esse ipse actus a voluntate elicited, cum sit primum ejus objectum. Quod finis dat speciem actibus moralibus, seu humanis, ut morales sunt, id est, ut procedunt a voluntate deliberata, quia talis voluntatis deliberativæ objectum, est ipse finis. Et alia similia multa infert, quæ postea discutientur.

V. Cæterum in prædictis tribus propositionibus, quas tamquam per se notas, tradidit D. Thomas univer-

sa, quæ ad finem constituendum pertinent, videtur comprehendisse. Tria enim in fine concurrunt, scilicet, formalis ratio finis, quod sit id cuius gratia cætera fiunt, et ad hoc pertinet quod sit principium in operabilibus, et prima causa inter reliquas. Secundo, materialis ratio, seu res ipsa quæ est finis, scilicet, quod sit bonum appetibile, seu objectum voluntatis, tale enim bonum est, cuius gratia appetitus movetur, et tertio ipsa conditio requisita, ut finis causet, et alliciat, nempe quod sit in intentione, seu in quantum apprehensus, et cognitus, sic enim metaphorice movet. Nec amplius requiritur ad causam finalem, nec ad quamlibet causam veram, et realem, quam realitas ipsa, seu substantia causæ, formalitas causandi, conditio requisita.

VI. Et hinc constat explicatio definitionis finis, quam sæpe tradit philosophus, nempe: Finis est cuius gratia cætera fiunt, ut patet in secundo physicorum text. xxix et xxxi, et in quinto met. text. secundo in primo ethic text. xxv in secundo de anima, text. xxxvii, et aliis in locis. In hac autem definitione, integre explicantur, et continentur ista tria, quæ ad finem conducunt, scilicet ejus substantia, formalitas, et conditio, namely cuius gratia, explicatur dupliciter, scilicet cuius gratia, id est, cuius bonitate, et cuius gratia, id est, cuius amore. Et in prima explicatione designatur ipsa substantia, seu realitas finis, quæ in re datur, in re enim invenitur bonitas, seu perfectio quæ appetitur, et finalizat. Et in secunda explicatione designatur conditio requisita, ut finalizet, scilicet quod finis sit intentus, apprehensus, seu amatus, nisi enim esset in apprehensione, non esset in amore. In altera autem particula, scilicet cætera fiunt, indicatur ratio principii in operabilibus, ad reliqua

omnia movens, et alliciens appetitum. An vero sicut est causa appetendi, et faciendi cætera, sit etiam causa finalis respectu amoris sui, diximus citata quæstione xiii physicorum. Nec est necesse in definitione finis explicare, quod finis sit causa amoris sui; seu ut ametur propter se, et non propter aliud prius: tum, quia in opinione est positum, an respectu amoris sui, finalem causalitatem habeat, an solum respectu aliorum: et quod in opinione est, non debet esse in definitione: tum, quia finis non ultimus, sed intermedius, etiam ut finis, supponit amorem alterius prioris, de quo postea: ergo absolute loquendo pro definitione finis, ut abstrahit ab ultimo, et intermedio, non est necesse apponere illam particulam negativam, quod non sit propter aliud prius; sed sufficit, quod alia sint propter ipsum, in hoc enim influenza finalis in alia, explicatur, quod solum pertinet ad substantiam finis; in alio non explicatur, nisi quod ab alio priori non derivetur, quod solum pertinet ad rationem finis, ut est ultimus. Qua ratione venit intelligendus Aristoteles in secundo metaph. textu octavo, dum agens de fine, inquit: «Quod tale est quod non est alterius gratia, sed sed ejus causa sunt cætera.» Ubi non solum positivam rationem explicat, quod ejus causa sint cætera, sed etiam negativam, quod ipse non est alterius gratia. Sed tamen Aristoteles ut bene ibi observat D. Thomas lectione quarta non loquitur ibi de fine quomodocumque, sed ut ultimo, quia intentum ejus est ostendere quod in causis finalibus non est processus in infinitum, sed in aliquo ultimo sisti debet, de illo autem fine qui est ultimus, et in quo sisti debet, optime docet, quod est tale, quod non est alicujus causa, sed alia propter ipsum.

VII. Circa istas propositiones D. Thomas ex quibus definitio ipsa, et quidditativa ratio finis explicatur, non apparet aliqua dubitatio apud auctores, nisi circa secundam, scilicet, quod objectum voluntatis est finis, et bonum. Et circa tertiam, quod finis sit ultimum in executione. Circa secundam est triplex difficultas. Prima, quia videtur D. Thomas pro eodem sumere bonum, et finem, non solum materialiter, sicut sunt idem bonum, et verum, et ens, sed etiam formaliter, ex identificatione enim materiali tantum, non posset recte inferre, quod omnes actiones humanæ, seu deliberatæ, sunt propter finem, si solum materialiter bonum est finis, sicut ex eo quod verum sit materialiter finis, non sequitur quod actiones sint propter verum: ergo neque propter finem. Si autem dicatur, quod bonum et finis sint formaliter idem, et formaliter objectum voluntatis, falsum est; tum, quia finis formaliter respicit media, quæ ejus gratia fiunt, et voluntatem, quæ appetit finem propter se ipsum. Bonum autem non importat formaliter istos respectus, sed convenientiam ad aliquid, si sit bonum relate, aut integritatem perfectam, si sit bonum absolute. Tum etiam, quia bonum est objectum appetitus sensitivi, aut etiam naturalis, omnia enim appetunt bonum, finis autem, ut finis, solum est objectum voluntatis rationalis, quia hæc sola tendit ad finem sub exercitio, et ordinatione, seu collatione finis. Secunda difficultas est, quomodo finis sit objectum voluntatis, an objectum adæquationis, et tunc media nullo modo erunt objectum voluntatis, quia non sunt finis; an vero objectum principalitatis tantum, ita quod media solum secundario, et accessorie sint objecta; et tunc non bene probat D. Thomas omnes actiones voluntatis esse prop-

ter finem, ex eo quod finis est objectum, si enim solum est objectum primum, et principale, non omnes actiones versantur circa illum, sed solum primariæ, seu principales. Tertia difficultas est, quomodo hac propositione probet D. Thomas intentum, intendit enim quod omnes actiones humanæ, seu propriæ hominis, sint propter finem, id est, ex causa finali, et ad hoc assumit, quod finis est objectum: objectum autem est causa formalis, seu specificativa, non finalis, probare autem causalitatem finalem ex formali et specificativa, inefficax et impertinens probatio est.

VIII. Circa tertiam vero propositionem est difficultas ex quibusdam Nominalibus, qui consentiunt finem etiam simpliciter ultimum, esse primum in intentione, quia præcedit in cognitione, et desiderio, ut causet. Cæterum non esse postremum in executione, quia non semper finis producit, et fit per actionem agentis, sed solum obtinetur. Et præsertim quia finem ultimum existimant non esse rem ipsam, quæ ut finis appetitur, et cuius gratia alia fiunt, sed subjectum, seu persona cui appetitur, qui solet dici finis cui, et hæc non fit per actionem agentis, sed supponitur.

IX. Ad omnes istas difficultates non possumus plene respondere in præsentia, quia aliquæ dependent ex his, quæ postea tractanda sunt. Solum solvendæ sunt quantum spectat ad innotescendum, quomodo illa propositio sit principium per se notum, in hoc quod est bonum, et finem esse objectum voluntatis; hoc enim per se notum, quam quod verum et intelligibile est objectum intellectus, et visibile visus. Et sicut color formaliter est visibilis, licet visibilitas explicet ordinem ad potentiam, color vero absolutam qualitatem. Quare in hoc sensu expli-

cata propositio illa, scilicet quod non amplius velit S. Thomas quam quod bonum sit objectum formale voluntatis, sicut verum intellectus, et quod in ista ratione boni, finis, vel sit ultima, et principalissima ratio, sicut lux in genere visibili respectu coloris, vel ut alii volunt sit adæquata ratio objectiva voluntatis, in hoc inquam sensu, propositio illa difficultate vacat, et est per se nota. Quia loquendo de bono, quod sit objectum voluntatis, sicut verum intellectus, tam per se notum est, sicut quod sonus est objectum auditus, et color visus. Quod vero finis sit bonum, est per se nota quantum ad illam disjunctivam, quod vel ipsum bonum adæquate est finis, vel saltem inter ipsa bona, finis est principalius, ita quod est formalis ratio aliis, et perfectio, ut amentur, sicut lux est colori ratio ultima, ut videatur, eo quod finis est illud bonum cujus gratia cætera appetuntur, et sic est ratio appetendi alia. Et in hoc sensu idem est dicere, quod finis, et bonum est objectum voluntatis, sicut si diceremus, quod lux et color est objectum visus, quia lux per se est visibilis, et est ratio videndi colorem, sic finis est per se appetibilis, et est ratio appetendi alia, quia illius gratia alia appetuntur. Et hoc sufficit ad intentum D. Thomæ inferendum, quod propter finem sint omnes actiones humanæ, quia omnia objecta actionum gratia finis appetuntur: ergo et omnes actus appetitivi, seu voluntarii propter ipsum sunt, sicut omnes actus visivi propter lucem, eo quod omne visibile a luce habet rationem objecti visibilis.

X. Ad primam ergo difficultatem dicitur, quod D. Thomas non sumit bonum, et finem pro eodem, entitative, et quoad omnes respectus, seu formalitates, quas habent, sed sumit pro eodem objective, ita quod in or-

dine ad constituendum objectum voluntatis, bonum, et finis non ponunt in numero, sed ratio finis, vel est tota et adæquata ratio boni, ut appetibilis, ita quod media nihil bonitatis per se habent, sed ex influenza, et adiectione finis; vel saltem finis est ultima et formalis ratio appetibilitatis in bono, sicut lux est ultima ratio visibilitatis, in se et per se visibilis, et ratio etiam videndi alia. In utroque autem sensu salvatur propositio D. Thomæ et intentum. Et ad tertiam difficultatem dicemus, quia etiamsi dicamus, finem non se habere, ut totum, et adæquatum objectum, sed ut rationem formalem ultimam, constat quod non nisi in ordine ad ipsum, et propter ipsum reliqua appetuntur, et cæteræ actiones sunt. Unde non obstat, quod diversas formalitates explicet finis et bonum, sicut etiam color et lux: hoc enim non obstante, unum se habet ut ratio formalis alterius, et in ordine ad constituendum formale, et specificum objectum voluntatis pro eodem reputantur: quia unum non est objectum, nisi ut subest alteri, et formalizatur ab eo, licet diversum respectum, aut formalitatem quidditative, aut entitative in se importet. Quæ autem sit verior opinio ex his duabus de fine, et bono, an sint adæquate idem, vel finis solum sit principalior, et formaliter ratio in ratione boni, dicemus circa quæstionem octavam. Quod vero dicitur, bonum etiam irrationalis appetitus, ac naturalis objectum esse, finem vero solius voluntatis rationalis, facile solvitur: nam si bonum sumatur, ut non cognitum, vel non collative, et ordinative cognitum, est objectum appetitus inanimati, vel sensitivi, sed eodem modo se habet finis; ad finem enim tales appetitus tendunt, sed non cognoscendo finis habitudinem, sed tantum absolutam enti-

tatem, perfectionemque tangendo. Si vero bonum sumatur, ut collative ordinativeque cognitum, eodem modo attingitur: atque finis sub habitudine finis, scilicet, a sola voluntate libera, et rationali, quæ collative ducitur.

XI. Ad secundam difficultatem dicemus, infra circa quæstionem octavam disputabitur, an media habeant aliquam intrinsecam bonitatem, an solum finis adæquate sit bonus. Modo dicimus, vim probationis D. Thomæ tenere in utraque sententia, quia si adæquata bonitas finis est, constans relinquatur, quod omnes actiones propter finem sint, si actiones voluntatis sunt, et voluntas pro adæquato objecto habet bonum et finem. Tunc autem media non erunt bona intrinsece, et absolute; sed extrinsece, et respective. Si vero finis non sit adæquatum objectum, et bonum, est tamen primum objectum, non quomodocumque, sed ita principale bonum, quod est ultima et formalis ratio sub qua appetibilitatis, sicut lux respectu coloris: sic licet non sit tota, et adæquata ratio objecti ex parte ipsius rationis, quæ objectivæ, est tamen tota ratio formalis sub qua, seu ultima ratio, cui cæteræ subordinantur, et per ordinem ad quam sumunt formalitatem objecti voluntatis. Unde ex hoc recte probat, omnes actiones humanas, seu ad voluntatem pertinentes, esse propter finem: quia licet non omnes versentur circa finem tamquam circa rem volitam, omnes tamen versantur circa illum tamquam circa rationem volendi, quia finis est cujus gratia cætera appetuntur, ita quod respectu sui est ratio volendi se, et respectu mediorum est ratio, ut sint volita propter finem, et gratia illius, sicut lux est ratio videndi se, et videndi colores.

XII. Ad tertiam difficultatem res-

pondetur, quod consequentia D. Thomæ infertur ex eo quod finis sit objectum voluntatis, quod omnes actiones humanæ sint propter finem. In qua consequentia sunt duo termini, scilicet *ly omnes*, et *ly propter finem*. Esse autem propter finem, importat causalitatem finalem, et hæc inferri non potest ex objectiva, seu formali, ut sic in communi, quasi ex eo quod sit objectum præcise, sit finis. Sed supponendo quod finis ex eo quod est finis exercere debeat causalitatem finalem, in actiones quæ finalizantur ab eo, ita ut sint propter finem. Restabat probare quod omnes actiones humanæ, seu voluntariæ subiciantur fini, seu ab eo finalizentur. Et ad probandum hanc universalitatem de *ly omnes*, oportuit ostendere quod talis finis universaliter omnes illas actiones comprehendat, et subordinet sibi, ut ab eo omnes finalizentur, et propter illum sint. Ad hoc autem debebat assumere, quod finis sit objectum, saltem formale, seu ratio formalis objectiva illius potentia a qua exeunt omnes actiones humanæ, scilicet voluntatis, et ex consequenti, earum potentiarum, quæ a voluntate moventur, et unde operationes voluntariæ dicuntur. Si ergo finis objectum voluntatis est, vel formalis ratio objectiva, necesse est, quod omnes actiones voluntatis, fini subiciantur, sicut omnes colores luci, ex eo quod lux formale objectum est: ergo omnes finalizabuntur, et erunt propter finem in genere causæ finalis, si quidem causa finalis, objectum voluntatis est, et sic ex eo quod objectum est formale, universalitatem in omnes actiones habet, ergo et finis universalitatem habebit si formale objectum est, ergo pro universalitate probanda servit ratio formalis objectiva. Supponit autem quod causalitatem finalem habet; hoc autem constat, quia finis est.